Quelle: https://manuscripta.at/?ID=924
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

obitus per matronas ibidem existentes cum candelis ardentibus expectaretur
Ipseque testis ei feretrum in quo humari deberet, et alia propius sepulturam
necessaria ordinasset, domum suam rediens, vallo quodam matronis
predictis pro incisione dicte sue uxoris si eam mori contingeret, ne fetus
in utero mortuo sine baptismate periret assignato, se ad lectum in max-
ima tristitia quieti gratia posuerat, beatum leopoldum ne fetus ut prefertur periret
Ipsaque mulier eius uxor quamdiu deo placitum foret diutius in hoc seculo viveret,
devotius invocaret. Cumque in orationibus et tribulationibus suis anxius
paulisper obdormivisset, quedam ex matronis predictis cameram ipsius
testis ingrediens, sibi nuntiavit puerum ex eadem uxore sua infirme
predicte sine adiumento humano, ipsisque matronis omnibus inscijs quasi
miraculose vivum in mundum prodisse. Gavisus igitur testis de partu
pueri sui vivi, eundem citius baptisari procuravit. Uxore interea eiusdem
testis in infirmitate sua predicta semimortua, sine quorumcumque me-
brorum suorum ut prefertur motione in egritudinis lecto iacente. Ipse testis
tumbam beati leopoldi cum orationibus et oblationibus suis sepius visitans
ac pro eiusdem sue uxoris salute ad deum et beatum leopoldum devotius inter-
cedens, Eadem sua uxor octava die sui partus manum et pedem sini-
stros primo, post alios octo dies reliquos manum et pedem movere
cepit, et post paucos alios dies omnino convaluit. Credit quod testis ipse
puerum et uxorem suos predictos per intercessionem et merita beati leopoldi
et non aliter curatos fuisse. Interrogatus de fama miraculorum beati leopoldi
dixit de eis publicam fore famam per totam patriam.

Anna relicta quondam N. Hayden civis Wiennensis mulier
bonorum nominis et fame etatis quinquagintaseptem annorum vel quasi
Interrogata de miraculis beati leopoldi, dixit se a quadam domina Helena, uxore
N. Sybenlind cive Wiennensi eius matre sepius audivisse, qualiter
eadem eius mater videns testem ipsam tunc in teneris annis constitutam
corpore viciatam, propter quod timebat eam dum nubilis fieret corpore
et pueros parere non posse, propter quod plurimum turbata fuit, Eandem
ad tumbam beati leopoldi cum oblatione votiva adduxit. Quo facto
vicium corporis in ea disparuit, ac tandem marito suo predicto despon-
sata decem pueros genuit asserens se beato leopoldo a sua pueritia